
ARCHAEOLOGIAE GEORGICAE SPECIMEN

DE

RE RVSTICA

VETERVM HEBRAEORVM

CVIVS PARTICVLA SECVNDA



LVSTRATIONIS SCHOLASTICAE

SOLEMNIA

IVSSV ET AVCTORITATE

VENERANDI CONSISTORII

a. d. IV. Cal. Octobr. A. O. R. MDCCLXXXVI.

PVBLICE CELEBRANDA,

EA, QVA DECET, OBSERVANTIA ET PIETATE

INDICIT

JO. GEORGIVS PVRMANNVS,

GYMNASII RECTOR.



FRANCOFVRTI ad MOENVM

EXCVDEBAT SCHEPER & SAVERLAENDER.

VANIERIVS.

Quæ bona ſunt propriaque valent virtute, placebunt
Vsque magis.





Memoratu digna ſunt verba, quibus Moſes, in confinibus Palæſtinæ conſtitutus, eam & ſoli fertilitate, & frugum varietate, Aegypto longe eſſe ſuperiorem, declarat; terra, inquiens, in cuius poſſeſſionem inuaditis, non ſimilis eſt Aegyptiæ terræ, ex qua emigraſtis, quam ſeminibus quidem veſtris conſerebatis, ſed ope pedum hauriendo aquam, irrigare debebatis; hæc enim terra, quam petitis, montes habet et valles, & cœleſtem pluuiæ aquam potat, ex qua non frumentum ſolum, ſed muſtum etiam atque oleum percipietis, & gramen ad pecus veſtrum alendum. Deut. XI, 10—12. Jam vero Aegyptum frumenti fuiſſe feraciſſimam, ex antiquorum teſtimonio ſatis abunde conſtat; iactas enim ſementes interdum augmento ſeptuageſimo renaſci, Ammianvs Marcellinvs teſtatur (L. XXII. c. 15) Quis neſcit, hanc prouinciam & quasdam alias, fuiſſe firmiſſima reipublicæ romanæ frumentaria ſubſidia, vnde, quotiescumque inopia laboraret, multa millia modiorum frumenti aduneherentur? Maxime ad hanc rem pertinent, quæ Plinivs inquit: percrebuerat antiquitus, vrbem noſtram niſi opibus Aegypti ali ſuſtentarique non poſſe; ſuperbiebat ventoſa & inſolens natio, quod victorem quidem populum romanum, paſceret tamen, quodque in ſuo flumine, in ſuis nauibus, vel abundantia noſtra, vel fames eſſet. (Plin. Paneg. c. 31) Neque hodie Aegypto hac in re ſuus deeſt honor. Hic enim, vt nusquam fere alibi, minimis ſumtibus & laboribus colliguntur fruges, quam rem inundationi Nili potiſſimum acceptam eſſe referendam, omnes norunt. Fertilitas limo relicto tanta eſt, vt Aegyptii quam ſæpiſſime illam ſabulo miſcere cogantur, ne ſemina in hoc pinguiori nitroſoque ſolo iacta pinguedine pereant. Ex ſolo flumine in Aegypto ſiue frugum abundantia, ſiue earundem inopia naſcitur. Certis igitur hominibus olim demandatum fuit, vt, quot cubitis amnis, cum maximus eſſet, adſurgat, diligenti cura perciperent; quod vt fieri commode

A 2 poſſet



poſſet, inſtrumento quodam vtebantur, quod Nilometrium vocare ſolebant, cuius formam ita deſcribit STRABO: nilometrium, inquiens, eſt puteus quidam, prope vrbem Syenen, in Nili ripa ex integro lapide conſtructus, in quo & maxima, & minima & mediocria Nili incrementa adnotantur; nam putei aqua cum Nilo pariter creſcit & decreſcit, in eius pariete ſunt notæ quædam, incrementorum omnium menſuræ. (STRABO GEOGR. L. XVII. p. m. 630) Hodie quoque eiusmodi inſtrumento vtuntur. In capite inſulæ cuiusdam eſt atrium aliquod magnum, fornicibus circumdatum, in cuius medio ingens eſt ciſterna, ad quam vndique gradibus marmoreis deſcenditur; in media ciſterna extat columna marmorea erecta, cubitorum digitorumque interiectorum numero ſignata; ad hanc ciſternam devenit aqua per canalem amplum, ex Nilo ductum, ad cuius incrementum aqua in ciſternam influit; publice conſtituti ſunt, qui ſingulas aquæ viciſſitudines notent, populoque indicent, nemini autem niſi religioni muhammedanæ addicto, per ſuperſtitionem huic genti propriam, adeſſe licet: ipſum hoc inſtrumentum hodie vocatur Mikkias. (*Niebuhrius in itinerario* T. I. p. 125) Quodſi igitur Nilus aut non ſufficienter turgeſcit, aut modum iuſtum excedit, vt aquis diutius immorantibus ſata ad maturitatem peruenire non poſſint, oritur inde calamitas, qua maior Aegypto accidere non poſſit; ſin vero ita inundat, vt largior meſſis expectari poſſit, populus operibus exſolutus ad animi relaxationem conuertitur, perpetuo epulatur, omnibus gaudiis fruitur. Quantæcunque autem ſint commoditates, quibus Aegyptus ex inundatione Nili fruitur; non minora tamen ſunt incommoda ex eodem fonte prouenientia, adeo, vt incolæ fertilitatem agrorum ſæpe magni emere cogantur. Ex illo limo pinguiſſimo, qui in patentibus campis relinquitur, multa naſcuntur inſectorum genera, quæ ſi moriuntur, putreſcunt, aëremque ſæpe reddunt veneficum. Idem malum ingraueſcit, luto, quod relinquitur, in vapores reſoluto. Hinc eſt, quod Aegyptum eſſe peſtis patriam, ex qua in alias regiones propagetur, & veteres & recentiores rernm naturalium magiſtri opinentur. Paſſim exiſtunt paludes, vbi lepra, elephantiaſis, aliaque morborum peſtiferorum genera naſcuntur. Alia incommoditas ea eſt, vt cum Aegyptus pluuia plerumque

que carere dicatur, Nilotica autem aqua, si vel alueum fluminis transcendat, agros editiores inundare non possit, opera & studio ad aquam in eos euehendam maxime opus sit. Non sine molestia ac labore variis instrumentis hydraulicis vti coguntur, quibus prolixe describendis animus iam non vacat. Ne tamen prorsus ἀσύμβολοι discedamus, vnicum tamen breuiter attingemus, cuius similitudinem aliquam in scriptis mosaicis iam deprehendere nobis videmur. In medio elicis sunt gradus quidam, quibus rusticus agros irrigaturus insistit, iisque rotam vrceis aut aliis vasis instructam circumagit; quod cum agit, fulcrum aliquod manibus adprehendit, vbi adhærens totum corpus suum suspendit, & loco pedum manibus, loco manuum pedibus vtitur. (*Niebuhrius* l. c. l. 148) Nonne hoc idem esse videtur, cuius Moses loco supra citato mentionem fecit, Israëlitas in Aegypto pedibus suis agros irrigasse inquiens? Quantæ molestiæ hoc esse putemus? quibus impensis opus esse, præsertim si aqua per longiorem aliquem tractum ducenda sit? A Babylone vsque ad Nilum iugum aliquod descendit, per quod aqua rotis & cochleis a flumine trahitur, centum & quinquaginta hominibus captiuis perpetuo opus facientibus. Præterea tanta est terræ siccitas & ariditas, vt si ea minuenda sit, terraque ipsa fœcundior reddenda, non satis sit, eam modice tantum irrigari, sed quam plurimis diebus largissima copiosissimaque aqua vndantem atque tectam manere.

Melius hac in re natura Palæstinæ consuluit, quippe cui non solum fontes & fluuios abunde attribuit, sed aqua etiam cœlitus delapsa regiones, quæ iis carent, ad summam fertilitatem faciendam irrigauit. Multum ad hanc rem attulit altissimus mons Libanus. Ex hoc monte fons oritur, qui Cant. IV. fons hortorum adpellatur, primo quidem ortu perexiguus, sed modico interiecto spatio adeo inualescens, vt in planitie flumen magnum efficiat. Hic est ille Jordanes, cuius in sacris literis crebriorem mentionem fieri nemo nescit. Verno potissimum tempore, si niues huius montis liquescunt, amnis eximie augetur, & intumescit, terram inundat eamque fœcundam reddit. Amnis est amœnus, & vbi locorum situs patitur, ambitiosus; vbi conuallium est occasio, in lacus sese fundit. (*Plin.*

 Hist.



Hiſt. nat. V. 5) Hæ aquarum collectiones regiones quidem irrigant, ſed non eo vsque, vt ſtagnantes frugum maturitatem impediant; æſtiuis enim caloribus interdum exſiccantur, & vbi colluuies erat aquarum, ibi arbuſta & herbæ in ſiluulæ modum adeo denſæ creſcunt, vt leones, vrſi, aliaque ſilueſtria animalia latitent. (*Harmar obſervationes in orientem* T. II. p. 240) Ex hac quoque cauſſa diuerſæ de magnitudine huius fluuii exiſtunt peregrinantium ſententiæ, cum alii eum nominant latiſſimum, alii anguſtum, prouti ſcilicet diuerſis viſus eſt temporibus; menſibus enim Septembri & Octobri, cum Jordanes, tum alii Palæſtinæ fluvii nec alti nec rapidi ſunt, ſed pauperes potius & diminuti, contra adpropinquante vere turgidi & aquarum pleniſſimi, niuibus liquefactis & in eum defluentibus. Hic fuit perennis aquarum fons, nunquam deficiens, cum Libanus ardentiſſimo etiam vrgente ſole, nunquam non niue obtectus eſt. Jer. XVIII, 14. qui propterea & a Chaldæis & ab Arabibus mons niuis vocari ſolet. Sunt quidem ex recentioribus, qui hunc montem niuibus nunquam carere negent, ſed eum potius albis tectum eſſe lapidibus, qui e longinquo niues eſſe videantur, ſtrenue adfirment. Schulzius, qui Evangelii præco multum temporis in illis regionibus verſatus eſt, ait, ſe initio ipſum fuiſſe deceptum, quum autem adſcenderit montem, non eſſe niues, ſed albos lapides, ſuis oculis vidiſſe.

Leitungen des Hoechſten nach ſeinem Rath, T. V. p. 471.

Quid ergo in hac narrationum diſcrepantia dicamus? Totus error ex eo oriri videtur, quod Libanum ab Antilibano, non adcurate ſatis diſtinxerunt. Illi montes, ad partem orientalem poſiti, ſub quorum vertice oritur Iordanes, a Græcis Romaniſque vocatur Antilibanus, ex cuius vertice ſummam niuis copiam in vrbes deferri, & in tabernis per totam æſtatem ad potus refrigerandos, proſtare venalem, omnes peregrinatores vno ore narrant; illi vero montes, qui prope mare mediterraneum iacent, quos vidit Schvlzivs, cedris conſitos albisque lapillis opertos eſſe, iidem adfirmant. Quæ ad vtramque huius fluuii ripam iacent valles, optime excoluntur, vberes ſunt aruis, paſcuis, vineis, hortis, pomariis, omnibusque campeſtribus bonis, Aegypto nulla ex parte inferiores. Gen. XIII, 10.

Non

Non vnicus autem hic fluit fluuius, a quo Palæſtina magnam fertilitatis ſuæ partem retulit; ſed fuere alii etiam, quibus ea irrigua facta eſt. In regione trans Jordanem ſita erat Arnon, ex Arabiæ finibus oriens, & magnam deſerti partem perlabens; erat Jabboc non longe a mari Tiberiadis in Jordanem influens; erat Jarmoch, qui teſte PLINIO vrbem Gadaram præterlabebatur. Ex altera quoque Jordanis parte non pauca erant flumina, quæ Palæſtinam irrigabant. Memorantur Rhinocolura, Cana, Chiſchon, Lante, Crith, aliaque minoris nominis. Nonnulla eorum fuerunt perennia, nunquam non fluentia, quæ נהרים vocabantur; alia, quæ vocabantur, נחלים torrentes, quæ non de fonte, neque de aqua viua, ſed a pluuiis, vel de montibus in valles deſcendebant, æſtate autem ſiccabantur, hiemalibus vero aquis inundata currebant. Præter fluuios Palæſtina ſuos quoque habuit fontes, quorum qui erant notatu digniores, in ſacris litteris memorantur, v. g. fons Siloam, fons Jsreeliticus, Charod, Neptoach, Joſ. XV, 19. Jud. VII, 1. 1 Sam. XXIX, 1. Inter eos erant, quos hyeme aruiſſe, æſtate autem vbertim fluxiſſe memorant. Aquarum fontis Etam tanta eſt vis, vt cum ex interioribus ſoli viſceribus prorupit, in venas ſectus, in varios riuos ſeſe effundat, qui tubis ſub terram elaboratis profluunt. Ad hanc naturæ liberalitatem acceſſit induſtria incolarum, aquas fluuiatiles in ea loca, in quæ per naturam penetrare non poterant, arte & opera deriuantium. Eiusmodi aquæ ductuum iam Hiskiæ temporibus mentionem factam eſſe legimus 2 Paral. XXXII, 3. 4.; hic enim rex, adpropinquantibus Aſſyriis, fontanas aquas obturauit & obſtruxit, ne, ſi veniſſent, tantum aquæ inuenirent. Ad aquas ſcilicet e fonte recipiendas locus ſubter terram erat excauatus, cuius oſtium deſuper, ne cuiuis pateſceret, aut lapide aut terra erat obtectum; ſub terra aqua canalibus ſiue in campum ad irrigandos agros, ſiue in vrbem ad potum hominibus animalibusque præbendum, ducebatur. Cum ciſterna duplici gauderet emiſſario, altero in campum, altero in vrbem ducente, rex illud terra obſtrui, hoc autem liberum relinqui iuſſit, quo ciuibus aquæ copia ſuppeteret, hoſtibus autem vrbem obſidentibus ſubduceretur. Aquis ex eiusmodi ciſternis deriuatis, ſi pluuia ceſſabat, abunde agri irrigabantur.

Ne



Ne autem quisquam parte sua defraudaretur, secundum traditionem Talmudistarum præpositus erat aliquis, qui quo die, quantum quisque hauriret, ordinaret, & qui eos, qui contra præceptum facerent, mulctaret.

Maximum autem naturæ beneficium, quo Aegypto Palæstina longe erat superior, aquæ præbuerunt cœlitus demissæ; quanta autem pluuialium aquarum præ fontanis aut fluuialibus ad fœcundandos agros sit præstantia, nemo nisi rerum rusticarum plane rudis ignorat. Aqua pluuialis, vt Bartholini verbis vtamur (*de aquarum proprietatibus* L. XIII. p. 553.) ex se lucida est & clara, subtilis, leuis ac sapida, nihil peregrini admixtum habet; quando cadit cum tonitru, adprime vtilis est ad fœcunditatem, tonitru enim motu suo discutit vaporem, aquasque & subtiliores & puriores reddit. Olim quidem, Aegyptum hoc beneficio prorsus carere, vulgo creditum est; hodie vero rem paullo aliter se habere, compertum habemus. Qui hanc regionem paullo adcuratius perlustrarunt, eam non omni quidem pluuia carere, sed eam parcissime tamen cadere, adfirmant. Cum ergo Psameniti, regis Aegyptiorum, tempore, apud Thebas Aegyptias plueret, pro maximo id habitum fuit portento (Herodot III, 3) Eæ autem terræ partes, quæ propius mare adiacent, mensibus præsertim hibernis, nonnunquam imbribus irrigantur. Pleniorem huius rei descriptionem suppetitat Prosper Albinvs, raro, inquiens, decidunt pluuiæ, quodsi contingat, tanquam ros est; Cairæ inquam, quandoquidem Alexandriæ Pelusiique & in omnibus locis mari adiacentibus sæpe pluit & largissime, Nouembrique facilius quam Decembri, id contigit, quod eo mense aër est frigidior. Hæc est temperies aëris locorum, qui a mare longe distant, per omnia anni tempora obseruata; loca mari proxima aëre vtuntur minus calido & sicco, ibique largissime pluere solet (*de medic. Aeg. p.* 24.) Vtut autem hæc sint, Palæstina tamen Aegypto hac in re palmam omnino præripit. Aestiuo quidem tempore cœlum valde est constans, terræque per aliquot menses imbribus plane carent; hinc factum est, vt nonnulli, qui hoc anni tempore per Palæstinam iter fecerunt, tantopere de siccitate & ariditate eius conquesti fuerint: sed nihil hoc facit ad fertilitatem terræ imminuen-

nuendam: menſe enim Septembri ruere ſolent pluuiæ, non quidem continuæ, nec diu durantes, ſed tamen tam largæ, vt terram exſiccatam humectare valeant; poſtea cœlum rurſus triginta dierum ſpatio fit ſerenum, quibus præterlapſis pluuia ſequitur copioſa & permanens, quæ affatim aquarum campis, fontibus & lacubus præbet: tunc deſinunt imbres ad menſem vsque Martium, quo tempore rurſus pluuia deſcendit, meſſem antecedens, ſegetemque in ſtipulis ſuis implens. Ab eo tempore cœlum nubibus depulſis fit ſerenum, & durante tota æſtate pluuiæ nunquam decidunt. Hinc inexpectatiſſimum fuit Iſraëlitis, & portenti loco habitum, quod tempore meſſis triticeæ ad Samuelis preces pluuia deſcenderit. (1 Sam. XIII, 17) Hac de cauſſa illæ quoque leges, quas Deus Hebræis de ſanctificando ſabbatho dedit, huic aëris conſtantiæ aptiſſimæ fuerunt; cum enim tempore meſſis, opera ruſtica interueniente pluuia non interpellatum iri certi eſſe poſſent, non neceſſe habuerunt, diem, qui metendis & condendis frugibus aptus eſſet, aucupari, ſed quieti & ſecuri ſabbatho operam dare potuerunt. Hoc vero in illis regionibus, quæ per æſtatem pluuiis ac tempeſtatibus obnoxiæ ſunt, fieri non poſſe, cuiuis facile eſt intellectu; accidere enim poſſet, vt die forſan ſabbathi cœlum eſſet ſerenum, reliquis pluuia tempeſtate inquietum, tunc aut ſabbathi leges migrare debuiſſent, aut non licuiſſet maturis frugibus vti, easque in horrea inuehere. Quæ autem in Palæſtina cadunt pluuiæ, lingua Hebræorum vernacula peculiaribus nominibus inſigniuntur; ea quidem, quæ ſub tempus autumni cadit, יורה, quæ vero adpropinquante vere decidit, מלקוש vocatur. Quanquam inter linguarum magiſtros de ipſa re ſatis conuenit, vt inter philologos ſcilicet conuenire ſolet; de nominis tamen ratione reddenda in varias diſcedunt opiniones. Quod ad vocem יורה attinet, nonnulli eam a verbo ירה, quod in coniugatione Hiphil, docendi, inſtruendi, notionem habet, deriuant, & hanc pluuiam ita dictam eſſe putant, quod doceat homines & inſtruat ad ea facienda, quæ ipſis neceſſaria ſint, agrum ſcilicet arare & ſemina ſpargere: alii autem, noſtra quidem ſententia melius, huius vocis originem in verbo רוה quærunt, cui ſaturandi & irrigandi ſignificatio ſubiecta eſt; quæ denominationis ratio cum ipſa re commode

 conue-



conuenit. Rabbini in scriptis suis hanc pluuiam רביעה vocant, quasi terram ineat ad producenda concepta semina. Septuaginta interpretes eam per υετον πρωιμον i. e. pluuiam tempestiuam (germanice Frühregen) reddunt, scilicet secundum computationem anni iudaici, qui ab mense Tisri, nostro Septembri plerumque respondente, initium capit. De altera voce מלקוש non est dubium, quin pluuiam serotinam denotet. Licet tempestatum vicissitudines in regionibus orientalibus constantiores regulas sequantur, quam alibi terrarum; tamen, quas diximus, pluuias quotannis eodem die redire minime putandum est. In Arabia pro diuersitate regionum tempestatis quoque rationem esse diuersam, Niebvhrivs docet; in partibus montanis, inquiens, a mense Junio usque ad septembrem cœlum semper esse pluuium; in partibus campestribus autem raro vltra viginti quatuor horarum spatium; idem, quo largior verno tempore pluuia decidat, eo lætiorem narrat expectari messem (*descript. Arab.* p. 3.) In Palæstina circa medium Septembrem plerumque pluere incipit, interdum etiam Nouembri demum mense. Talmudici doctores perhibent, si tertio aut septimo Octobris die non pluisset, Judæos publicis precibus Deum opem auxiliumque rogasse; si siccitas ad mensem vsque Novembrem durasset, tunc ieiunia plurium dierum fuisse indicta (*tract. Misch. Taanith*, *c.* 2.) Ab hisce ergo pluuiis omnis expectanda erat terræ fertilitas, quæ si propter contumaciam & peruicaciam Judæorum, a Deo cohiberentur, summa inde nascebatur miseria.

Alia prærogatiua, qua Palæstina ex verbis mosaicis supra adlegatis Deut. XI, 10. Aegypto erat superior, in regionum varietate erat posita; cum & montes, & valles patentes habuisse narratur; vnde frugum quoque prouentuumque terræ diuersitas oriatur necesse fuit: vt enim non omnis fert omnia tellus, ac in omni re rustica multum nosse refert, quid quæque ferat regio, quid ferre recuset; ita quod fructuum genus Hebræis per naturam terræ suæ negatum fuerit, non videmus. Habebat illa suos campos, agris frumentariis adprime idoneos. Erat magna quædam planities, Josepho μεγα πεδιον, i. e. campus magnus dicta, quæ a mari Tiberiadis ad fines vsque Palæstinæ australes sese extendit, quæ in longitudinem



nem ſtadia mille & ducenta, centum & viginti in latitudinem, circumdata ex utraque parte montibus ſibi inuicem ſuccedentibus & cohærentibus; per mediam interfluit Jordanes. Præter hanc planitiem alius erat campus, eodem campi magni nomine inſignitus, qui ab vrbe Iesreel nomen ſuum ſortitus, verſus vrbem Ptolomaida ſe extendit. Multa alia erant campeſtria loca, quæ a monte Carmelo verſus meridiem vsque ad terminos terræ Iſraeliticæ auſtrales cernebantur. Hic lætæ vigebant ſegetes, & arua bene culta omnis generis fruges ferebant; non minus hic paſcua erant, alendis pecoribus apta. Eundem vſum præbebant valles, quarum bene multæ inter montes intercipiebantur, quarum aliæ hyeme aquas recipiebant, aliæ iis carebant. Fuerunt quidem,

quo ſe demittere riui
Adſuerant pluuialis aquæ; tenet ima lacunæ
Lenta ſalix, vluæque leues, iuncique paluſtres,
Viminaque, & longa paruæ ſub arundine cannæ;

fuerunt autem etiam, quæ hortorum inſtar cultæ, olera aliasque delicias, & ruris opes ferebant. Magna tamen, immo maxima terræ Iſraëliticæ pars montana fuit. Vtrumque latus Jordanis ingenti tractu montium ſeptum erat; tribus Naphtali, Ephraim & Juda, multitudine montium celebres fuere. Si quis Ptolomaide Hieroſolymas proficiſcebatur, primo quidem via per amœniſſimas valles & planities ducebat, ſed non multo poſt plane alia terræ facies ſe oſtendit, & nil niſi rupes & præcipitia conſpiciuntur. Ita ſcribit MAVNDRELIVS, qui ipſe per has regiones iter fecit, idemque ait, horridarum illarum rupium adſpectum prima quidem fronte oculos animosque peregrinantium percellere, cum hæc non videantur conuenire cum laudata illa fertilitate, qua quondam tot millia Hebræorum ſolis ſuis operibus & prouentu terræ nutrita & ſuſtentata fuiſſe dicuntur; ſed ſimul obſeruat, illos montes & rupes olim terra tectos fuiſſe & cultos, quod ex reliquiis lapidum per certas ſeries in iis diſpoſitorum, vt terram coërcerent, ne a pluuiis raperetur in valles, & aliis indiciis, liqueat (*in itinere Hieroſolym.* p. 148.) Qui igitur per omnem Palæſtinam diſſeminati quaſi erant montes, non



omnes aſperi erant & ſaxoſi, ſed virides potius, arboribus vineisque ornati. Hoc tamen non ita intelligendum eſt, quaſi nullus in tota terra tractus fuerit ſalebroſus & infœcundus; in quanam enim terra inueniatur regio, quæ non quosdam habeat locos ſteriles? Scopuloſi quidem montes agriculturæ minus ſunt idonei, oletis tamen & vinetis aptiſſimi, ex quibus Palæſtinam non minorem, quam ex agris frumentariis percepiſſe vtilitatem conſtat. Eadem ferme hic erat ratio, quam Cato tribuit Italiæ, quam vnusquisque fertilitate reliquis fere regionibus omnibus anteponendam eſſe arbitratur. Ita vero ille: de omnibus agris, optimoque loco, ſi emeris iugera agri centum, vinea eſt prima, ſecundo loco hortus irriguus, tertio ſalictum, quarto oletum, quinto pratum, ſexto campus frumentarius, ſeptimo ſilua cædua, octauo arbuſtum, nono glandaria ſilua. (*de re ruſtica* c. 4) Alma igitur parens, natura, ſplendida ſua bona fœcundo ſinu in Palæſtinam effudit, & quæ fuerunt partes campeſtres, frumento & pabulo, quæ vero fuerunt montanæ, vino, oleo aliisque fructuum montanorum generibus, pleniſſime ditauit. Quod vt eo melius intelligatur, prouentuum, quibus terra Iſraëlitica maxime ſuperbiuit, breuem ſuppeditabimus deſcriptionem.

Varia fructuum genera, quibus Palæſtina maxime floruit, in ſcriptura ſacra memorantur. Primum in iis locum obtinet triticum, cuius quæ ſit natura ac ratio, omnibus notum eſt. Ebraice dicitur חטה ſine dubio a radice חטט quod apud Arabes pinguedinis notionem inuoluit. Fuit hoc vſitatiſſimum frumentum, ex quo Hebræi panem aliaque alimentorum genera ſibi pararunt. Idem honor huic frumento ab aliis populis habitus eſt, idque, vt eſt apud Colvmellam (*de re ruſtica* II. 6. 1.) primum & vtiliſſimum fuit. Mira eius fuiſſe apud veteres memoratur fœcunditas, adeo vt e modio, Plinio teſte, ſi ſit aptum ſolum, quale in Byzacio Africæ campo, centeni quinquaginta modii redditi fuerint; miſit ex eo Auguſto Procurator ejus vno grano quadraginta paucis minus germina, miſitque & Neroni ſimiliter trecentas & ſexaginta ſtipulas ex vno grano. Cum centiſſimo & Leontini Siciliæ campi fuderunt; inuentus & ſcapus vnus centum fabis onuſtus (*Hiſt. Nat. XVIII*, 10) Palæſtinenſe inprimis triticum pretii

pretii sui honore omnes alias regiones vicit, adeo vt ipsum Aegyptium, quod tantopere alias laudabatur, posteriores ferret: CELSIVS enim, comparatione hoc inter & illud instituta, quindecim tritici Palæstinensis modios eandem præbere farinæ quantitatem, quam viginti tritici Aegyptii modios, & insuper bonitate etiam & candore præcellere, ait. (*in Hierobotan.* Tom. II. p. 114) Huiusce frumenti tam ferax erat regio, vt non incolis solum nutriendis abunde sufficeret, sed ad exteros quoque magna eius copia exportaretur. Salomonem quotannis viginti cororum millia regi Tyriorum dedisse legitur 1. Reg. V, 11. & Ezech. XXVII, 17. triticum inter ea mercimonia numeratur, quæ Phœnices, tunc temporis mercaturæ soli dediti, ab Israëlitis accepta in alias regiones omnes deuexerunt. Deus ergo summam, quæ esse posset, prosperitatem Israëlitis, leges suas seruantibus, exhibiturus, se eos tritici polline ac flore saturaturum esse promisit, Psalm. LXXXI, 17, CXLVII, 14. Idem vero iis contumacibus ac leges diuinas migrantibus infortunium minitaturus, agros loco tritici spinas laturos esse denunciat. Jer. XII, 13. Neque hodie huic terræ, quamuis incolarum pigritia atque barbarie maximam partem incultæ, suus deest honor; NIEBVHRIVS enim, hac in re auctor classicus, largissimas exoptatissimasque eius narrat messes, huiusque fœcunditatis, simulque & frumenti præstantiæ ex eo depromit caussam, quod agri non fluuiali, sed pluuiali aqua inundentur? Quæ veteres de tam insigni tritici fœcunditate narrant, ea nonnullis hodie incredibilia videntur; fieri quidem posse putant, vt grana singulatim sata ita sese multiplicent, vt sationem centuplam, imo numerosiorem etiam reddant; sed in agro id fieri posse negant, vbi, licet quoduis granum sparsum in culmos excrescat, ii tamen propter densitatem ad maturitatem peruenire non possint. NIEBVHRIO igitur eiusque comitibus in terras Arabicas proficiscentibus id negotii datum erat, vt agricolis consultis, quidnam huius rei esset, pleniorem probabilioremque huius quæstionis explicationem dare studerent. Illi quidem non defuerunt, quin dedita opera hanc rem exquirere studerent, nec tamen ita explanarunt, vt nullus dubitationi locus relinqueretur. Vbi solum optimum & pinguissimum est, ibi sementis ad summum duodecies aut decies quinquies, in quibusdam regionibus

 parcius



parcius etiam redditur. Putant ergo, ſi de eiusmodi prodigioſa frumenti multiplicatione ſermo ſit, id non de tritico, ſed alio quodam frumenti genere, quod Durram vocant, eſſe intelligendum, quippe quod ſingulis annis tribus vicibus meti poſſet (*Niebuhrii deſcript. Arabiæ* p. 151) Quid autem, ſi non de vniuerſa meſſe, ſed ſingulis tantum ariſtis, ex vno granulo diuerſis culmis naſcentibus, explicemus? neque enim in noſtris regionibus plane inſolitum habetur, centum aut plura etiam grana ex vno culmo prouenire. Vocula שורה, quæ Jeſ. XXVIII, 25. tritico adiecta legitur, non vno modo ab interpretibus explicatur. Nonnulli eam, per ordinem, ſeriem, menſuram, explicant, & ad ipſam ſationem referunt, vt ſenſus ſit, triticum certo ordine ac ſerie in terra poni. Hanc explicationem vulgatus interpres ſequitur, qui in ſuo exemplari forte סורה legit. Alii autem hanc vocem ad ſationem referri non poſſe putant, quod triticum terræ committendum, æque ſpargatur ac cætera ſemina; ſed ea potius tritici proprietatem indicari perhibent. Originem vocis ergo in verbo arabico שור, quod pinguedinem notat, quærunt, idemque eſſe putant, quod triticum pinguiſſimum ac præſtantiſſimum (*Lowthius ad h. l.*) Septuaginta interpretes hanc vocem prorſus omittunt, vnde nonnullis ſuſpicio nata eſt, eam a librariis eſſe inſertam, eamque lectionem ex ſequenti voce שעורה perperam eſſe ortam. Cum hæc vox inter alia frumentorum genera poſita inueniatur, eam peculiare aliquod genus indicare perhibent; quod illud autem ſit, difficile dictu eſſe putant; quoniam hæc vox nuſquam alibi in ſacris litteris occurrat. Sequuntur igitur coniecturam, forte oryzam, præſtantiſſimum in oriente frumentum, ex quo optimus conficiatur panis, quodque in multis locis cibus ſit quotidianus, ea indicari. Ex eadem arabica radice שור quæ pinguedinis notionem ſubiectam habet, eam deriuant; nullum enim frumenti genus oryza pinguius dici poſſe putant; terræ etiam Palæſtinenſi maxime egregieque convenire, præſertim in locis paluſtribus riuisque, & prope Jordanem hodie quoque multum oryzæ inueniri. Sæpe mirari nonnullos ſubiit, cum oryzam non in India ſolum, ſed Babylonio etiam regno, & in Suſio, inferiore etiam Syria, naſci conſtat, nuſquam expreſſam eius in ſacris litteris inueniri mentionem; ambabus igitur manibus, quam ſuppedi-

peditauimus, vocis שׂוֹרָה explicationem adripiunt, vt hoc ſaltem dubium effugiant. Aliam quoque vocem ſibi inueniſſe videntur, quæ oryzam denotet, רִיפוֹת quæ 2 Sam. XVII, 19; Prov. XXVII, 22. occurrit. Sed cum hæc vox generatim frumentum contuſum denotet, & 2. Paral. II. 10. per חטים מכות triticum contuſum explicetur, non multum huic opinioni tribuimus. Aut nusquam igitur, aut in voce שׂורה oryzæ veſtigia latere putamus.

Triticum ſequitur hordeum, frumentum non minus nobile ac in Palæſtina vſitatum. Patria quidem eius Aegyptus eſſe dicitur, nec tamen in terra Cananæa fuit peregrina. Ebraice nomen ſuum שׂעורה a verbo שׂער piloſus, horridus fuit, nactum eſt, vt apud Latinos hordeum ab horrido dictum eſſe videtur. Duplex eius in oriente inuenitur ſpecies; vna hordeo noſtro ſimillima, ſed ſaporis iucunditate illud facile ſuperans; altera vero nigra, iumentorum potiſſimum pabulo deſtinata. Illa forma erat rotundiore, hæc longiore; illa autumno ferebatur, hæc ineunte vere. Vnde & nonnulli linguarum magiſtri nobiliorem eius ſpeciem per olyram, ſiue zeam, interpretantur. Omnium frugum prima ad maturitatem peruenit; breui enim ante exitum Iſraëlitarum ex Aegypto, omnibus frugibus grandine percuſſis, hordeum maximam calamitatem ſubiiſſe legimus, quippe quod iam in culmos matureſcentes excreuerat. Exod. XI, 34. Ex eadem cauſſa feſto Paſchatis manipulus hordei, primitiarum loco Deo erat conſecrandus. Quod hordeum Jeſ. XXVIII, 25. adiuncto epitheto שׂעורה נסמן dicitur, in eo valde inter ſe diſcrepant interpretes, aliis hanc voculam נסמן per hordei adiunctum, aliis per peculiare frumenti genus explicantibus. Qui priorem amplectuntur interpretandi rationem, ii hordeum pingue, præſtans, aut præ cæteris inſigne dici putant? Quæ vero explicatio aliis non probatur. Quam enim verbo סמן tribuunt ſignificationem, ſignauit, eam poſterioris eſſe ætatis perhibent, a Rabbinis demum ex græcorum verbo σημαινειν adoptatam. Hanc ob cauſſam hanc vocem eſſe nomen ſubſtantiuum, & peculiare plantarum genus denotare putant. Jam vulgatus Bibliorum interpres, itemque Aquila & Theódotion, hanc viam ſunt ingreſſi, illeque vocem noſtram per milium, hic autem per κεγχρον, & ζεαν, inter-



pretati ſunt. Nonnulli ex recentioribus milium indicum intelligunt, quod apud Arabes Duræ, apud nos autem frumenti Saracenici nomine notum eſt. Varia huius frumenti in oriente reperiuntur genera; aliud enim grana, piſa magnitudine æquantia, ruſa, aliud purpurea, aliud ſubcandida profert, quorum alterum altero præſtantius habetur. Iam Plinio & Colvmella teſtibus, ex eo panis quidam prædulcis præparatur, qui priusquam refrigeſcat, cum iucunditate abſumi poteſt. Hanc frugem eandem eſſe putant, quam Latini holcum, itemque ariſteam vocant. Arabes hodieque ex ea panem pultemque præparare, Niebvhrivs, quem iam ſæpe citauimus, docet, eundemque priſcis huius regionis incolis fuiſſe morem, ex eo colligimus, quod Arabes a maiorum ſuorum inſtitutis vix latum digitum disceſſiſſe, compertum habeamus.

Tertium frumenti Palæſtinenſis genus, cuius in ſacris litteris mentio iniicitur, illud eſt, quod Ebræi lingua ſua כסמת vocant, quod ſpeltam eſſe, plerique interpretes, ſi ab Hieronymo paucisque aliis, qui viciam eſſe putant, disceſſeris, adfirmant. Hoc frumentorum genus eſſe tritico quam ſimillimum, ſed ſapore fere præcellens, inter omnes conſtat, nec illud in ſuperioris Germaniæ partibus eſſe inſolens. Aegypto id inprimis fuiſſe peculiare, Herodotvs docet, multi alii, inquiens, victitant tritico & hordeo, Aegyptio autem iis veſcenti, maximum eſt probrum, ſed victum parant ex olyris, zeas alii vocant. Duorum illud fuit generum, vnum ſimplex, vnius tantum grani, alterum geminis in putaminibus grana bina iuncta gerens. Zea, quam nos ſpeltam vocamus, ori gratiſſima, non ſolum cibo idonea putabatur, ſed veteres potum quoque ex ea præpararunt. Tritico & hordeo plerumque eſt adiuncta, non in ſacris ſolum libris, ſed apud profanos quoque auctores: ſic enim Homervs ait:

πυροι τε ζειαι τε, ηδ' ευρυφυες κρι λευκον.

Ezechiel panem ſuum confecturus, miſcere ſpeltam, triticumque & hordeum iubetur fabis, lentibus & milio, qui miſcellaneus panis ſignum fuit penuriæ & famis, quam obſeſſa vrbs Hieroſolyma erat toleratura. (*cap. IV*, 9)

Præter

Præter hæc & alia quædam erant frugum Palæſtinenſium genera, cum a ſacris ſcriptoribus, tum a Rabbinis memorata קצח cuius Jeſ. XXVII, 25. fit mentio, communi interpretum ſententia nigellam, quam Græci melanthium, itemque melanſpermon dixere, fuiſſe conſtat. Fuit ſemen acre & odoratum, coloris nigri, quod capitulis fruticis alicuius puſilli continebatur. Hebræi illud panibus & cibis condimenti loco indere ſolebant (Plin. hiſt. nat. XIX, 8. XX, 17.) כמון eodem loco Jeſaiano memoratum, fuit cuminum pratenſe, Hebræis ita dictum, quod inter reliquas pratorum herbas & gramina latens creſcat; hoc ſale mixtum condimenti loco habitum fuit; Plinio enim teſte omnium condimentorum ſtomachi faſtidiis amiciſſimum fuit. (H. N. XIX, 8) Hiſce frumentorum generibus in agro conſitis ſæpe ſeſe immiſcet herba quædam, externam quidem tritici ſpeciem habens, natura autem prorſus ab ea diuerſa. Hebræi illam זונין Græci ζιζανια, Latini lolium vocant. Secundum deſcriptionem Rabbinorum gerit folia culmosque nodoſos, tritici quodammodo ſimiles, paullo tamen hirſutiores; cum eo naſcitur, ſeminibus ipſorum corruptis, aut in deterius mutatis; quod fieri dicunt, cum tritici ſemen, priusquam terra erumpat, diutius retineatur, aut nimia humiditate, aut nimio calore corrumpatur, aut ſolum habeat vliginoſum; triticum in lolium, propinquam atque adfinem congeneremaque ſpeciem, & viciſſim lolium in triticum abire, contendunt. Sed acutiores rei botanicæ magiſtri hæc cum aliis Rabbinorum fabulis pari paſſu ambulare adfirmant, falſumque eſſe dicunt, tritici ſemen in peius mutari; ſed quæ veteribus dicantur Zizania, ex peculiari aliquo ſeminum genere naſci; prouocant ad parabolam Chriſti, vbi lolium non ex corrupto tritici ſemine, ſed, quod malignitate aduerſarii aliud ſemen agro iam ſeminato inſperſum fuerit, natum eſſe dicatur, Matth. XIII, 25-27. Et reuera hodie apud Arabes eiusmodi germinis genus reperitur, quod lingua ſua Siwan, nomine ab Hebræorum זון non multum adhorrente, inſigniunt. Hoc ſeminis genus ita fere deſcribunt: color eſt ſubniger, viridi amaritudo nec acris nec ingrata eſt, guſtantem tamen vehementer diuque adficiens. Eſt exile, longiusculum, ab extremitate vna tenue, ab altera plenius, operiente hanc tegumento, quod


ſummi-



ſummitatem capuli in enſe repræſentat, & corticí ſe immergens, coronula rotunda cingitur, particuliſque haud raro piloſis atque perſiſtentibus. Duplex eius eſt genus, alterum maius, alterum minus vocatur. Sivan maius ſimile eſt tritico, ex quo panes confici poſſunt, leue pondere, & mandenti glutinoſum ſentitur; Sivan minus autem homines temulentos facit, haud lætos ſane, ſed mœrore graues (*Relation Goetting de libris nouis*, faſc. X. p. 533. NIEBVHRIVS l. c. p. 160.) Hiſce frugum generibus, quæ in ſacris litteris commemorantur, Rabbini adhuc duo adiungunt, Palæſtinæ quondam propria, quorum vnum שבלת שועל alterum autem שיפון vocatur. Illud quidem, quod ob ſimilitudinem caudæ vulpinæ latine ſpicam vulpinam dicere poſſis, per hordeum ſilveſtre, itemque auenam explicant; ſed qui terras orientales propius perluſtrarunt, ibi auenam fruſtra quæri perhibent: hoc autem ſecale noſtrum eſſe dicunt, non feliciores interpretes; hoc enim frumenti genus populis ad ſeptemtrionem poſitis vſitatum, regionibus auſtralibus ignotum eſſe conſtat. Nullam harum frugum mentionem niſi in Talmude (*tract. Peſach. cap. III. p.* 5.) fieri nouimus; quam parum autem Rabbini rerum naturalium ſint periti, ſatis conſtat; hanc ob cauſam eorum narrationibus explicandis fruſtra operam dare nolumus.

Fuerunt & alia terræ bona, in quibus tribuendis natura ſeſe Hebræis fautricem atque beneficam præſtitit. Egregium decus, quo Aegyptum Palæſtina longe ſuperauit, fuerunt vineta & olíueta, quæ hic adeo erant feracia, vt non incolarum ſolum vſibus cederent, ſed alias etiam gentes ſuſtentarent. Aegyptusne vinum genuerit, variæ multumque inter ſe diſcrepantes veterum ſunt opiniones. HERODOTVS, qui ipſe Aegyptum peragrauerat, nullas ibi ſe vidiſſe vineas ait (L. II. c. 77) PLINIVS contra, Sebeniticum vinum tribus generibus vuarum nobile naſci, & inde Romam deferri, adfirmat (*Hiſt. Nat.* XIV. c. 7. §. 9) ATHENÆVS multus eſt in laudando vino Alexandrino, & ex vtraque ripa Nili multas eſſe ait vites, generoſum vinum gignentes. (*Deipnoſoph.* L. I. p. m. 33) Qui recentiore autem ætate Aegypti rationes oculis propius perluſtrarunt, nullas ibi eſſe vites docent, præter eas, quæ in domorum parietibus conſpiciantur.

(*Maille*



(*Mailletus in descriptione Aegypti* T. II. p. 17) Quae testimonia sibi contradicentia hoc fere modo concilianda esse videntur, vt diuersae historiae Aegyptiae epochae distinguantur. Antiquissimis quidem temporibus nullus, aut valde mediocris erat in Aegypto vini vsus; post ea autem sub Alexandri Magni successoribus, qui hoc regnum sub sua tenuerunt ditione, multum vino impendebatur curae; denique sub Mahommedanorum imperio vini cultura rursus negligebatur, vineaeque deuastabantur, paucissimis tamen in locis circa Alexandriam nonnullae vineae inueniuntur, quarum vsum Christianis ingenti mercede relinquunt. Ipsum quidem Aegypti solum plantandis vineis non esse idoneum, satis adparet; collibus enim, quos apertos amare Bacchum, Horatius docet, totam fere Aegyptum, certe inferiorem eius partem, penitus carere constat; in planitie autem vuae ad maturitatem peruenire non possunt, praesertim cum eo tempore, quod vuis maturescentibus adprime conueniens est, Augusto scilicet mense, terra Nilo inundetur. Desiderium ergo vini Aegyptiis expleturis necesse erat, illud ab exteris gentibus repetere, ac in terras suas deuehere: quod cum rationibus suis minus esse proficuum animaduerterent sacerdotes, qui iidem rerum ciuilium erant magistri, religionis quoddam commentum in subsidium adhibuerunt. Docuerunt scilicet, vino inesse aliquid pestiferi, neque illud tam a Deo, quam a malo genio, Diis hominibusque inimico, originem duxisse. Plvtarchvs, ante Psammetichi regis aetatem Aegyptios docet neque bibisse vinum, neque Diis libasse; hoc enim esse sanguinem gigantum, qui aliquando bellum Diis intulissent, ex quorum cadaueribus terrae permixtis vites ortae fuerunt. (*Plutarch. de Iside & Osiride, Opp.* T. I. p. 358) Nefandis igitur vinum dedecorarunt nominibus, modo fel principum tenebrarum, modo sanguinem terrae ac diabolorum, compellantes. Hoc igitur cum persuasum fuerit Aegyptiis, mirum non est, eos a vino prorsus abstinuisse. Pharaonem quidem, regem Aegypti, succum ex vuis expressum, & aqua dilutum, bibisse legimus (Gen. XL. & seqq.) sed vinum atque vuarum succum non perinde habitum fuisse, ex aliis quoque locis intelligimus. Avgvstinvs inquit: quae tanta peruersio est, vinum putare fel principis tenebrarum, & vuis tamen comedendis non parcere (*de moribus Manichaeo-*



rum, I. §. 44. (Opp. II. p. 752) Et ipſe Mahommedes adſeclis ſuis vſum vuarum eam ob cauſſam indulget, quod eæ ſalutare alimentum præbeant. (*Corani ſura* XVI. v. 1) ſuccus ſcilicet ex vuis expreſſus, antequam fermento intumeſcat, inebriare non ſolet. Quamuis ergo lautioribus ac delicatioribus hominibus vuas recentes aut paſſas guſtare, ſiue potum ex iis expreſſum bibere, licuerit; hoc tamen non eo valuit, vt vini cultura Aegyptiis propria fieret. Lex enim, qua Aegyptiis vino vti interdictum erat, eo tantum ſpectabat, vt, cum Aegyptus careret vineis, ne illud ab exteris gentibus patriæ incommodo repeteretur.

Longe alia autem erat terræ Palæſtinenſis ratio; hæc enim terra, ſi quæ alia, vini fuit feraciſſima, hodieque etiam, quamuis Turcis, terræ huius dominis vini, culturæ non admodum fauentibus, ac regione multis bellis ac ſeditionibus deuaſtata, multæ ſunt vineæ, ex quibus quotannis ingens vuarum paſſarum copia in Aegyptum aliasque terras exportatur. Vites ibi creſcunt tanta altitudine, vt arbores eſſe videantur, villasque & domus palmitibus & ſequacibus locis ambiunt, adeo vt ſub vite arbuſtiua, tanquam ſub frondea caſa, incolæ conſidere ſoleant. Mich. IV, 4. Vitium ſtipites ibi admodum craſſi palmites late extendunt. Mirabile dictu eſt, quod de vitibus Palæſtinenſibus tradit SALIGNACVS. Eadem vitis, inquit, ter in annos producit vuas, & maturant omnes tempore ſuo, hoc quidem modo: Vinitores cum putant vites, relinquunt tot palmites prioris anni, quot ſatis eſſe putant; deinde poſtquam palmites nouos incepit producere & botros paruulos, incidunt reſiduum de palmite, quod eſt ſupra botros: menſe Aprili palmes inciſus ſupra botros pullulat, & alium producit palmitem, nouis botris inſtructum, quo viſo iterum præciditur, quidquid ſupra eſt; menſe denique Maio idem fit, & hoc modo tres vuarum ordines habentur, quæ hac lege maturant, vt, quæ menſe Martio pullulauerunt, menſe Auguſto vindemientur, quæ Aprili gemmas protruſerunt, menſe Septembri ad maturitatem perueniant, Octobri tandem eæ decerpantur, quæ Maio menſe pullulare cœperunt: vnde per totam fere æſtatem vuis maturis frui licet. (*itinerarium terræ ſanctæ* L. II. c. 1) Ad vitium magnitudinem

vuæ

vuæ quoque nafcuntur noftris plane inæquales. Dari vuas decem vel duodecim librarum pondere, SCHVLTZIVS auctor eft. (l. c. p. 135. 285) Hinc ea lucem fœnerantur, quæ de exploratoribus a Mofe in Palæftinam miffis, & ingentis magnitudinis vuas teftimonii loco fecum adferentibus, narrantur. Num. XIII, 24. Hoc tamen non ita intelligendum eft, ac fi vuæ tam grandes grauesque fuerint, quæ ab vno homine portari nequiuerint, fed termitem cum vuis abfciffum, ut eum incolumem ferre poffent, palo impofitum tulerunt. Memini me alicubi legiffe, amatorem cum amica ludentem, acinum ipfius ori ingeffiffe, qui tam grandis fuerit, vt mulierculæ fpiritum præclufer it. Ipfa vina, quæ in Palæftina proueniunt, pretiofa & fuauia effe dicuntur, & fapore cum Italicis comparantur. HASSELQVISTIVS, qui ipfe ea guftauerat, fummis ea effert laudibus, eaque ad generofa Germaniæ vina, quæ in regionibus ad Rhenum nafcuntur, accedere putat, vnde nonnulli vites ex Palæftina in Germaniam translatas fuiffe opinantur. Ante viginti, & quod excurrit, annos Arabs quidam in noftris regionibus verfatus, cum vinum Rhenanum viginti annorum guftaret, illud fapore ad vinum Palæftinenfe prope accedere adfeuerauit. Fuit Hebræis potionis quoddam genus, quod lingua fua תירוש f. muftum adpellant. Si vocis huius originem fpectes, potum denotare videtur, qui fe poffefforem hominis faciat, eiusque cerebrum ita occupet, vt ille fui non amplius compos fit: fic Arabes quoque vinum a captiuando dicunt; Sic Turcæ aut vino prorfus abstinendum effe dicunt, aut eo ita vtendum, vt ebrietas inde fequatur; hunc enim in finem illud a natura datum effe. Hac voce igitur aut liquorem denotant, qui recens ab vuis calcatis aut torculari fubditis effluit, aut generatim vinum quoduis fignant. Interdum tamen vino tanquam peculiare potionis genus adiungitur e. g. Hof. IV, 4. quod præcipue in deliciis habitum fuit Gen. XXVII, 28. Jud. X. 13. Jef. XXIV, 7. Hoc idem fuiffe putant, quod in noui Teftamenti libris vinum dulce γλευκ dicitur, Act. II, 13. Caue tamen, ifta intelligas vina, quæ nos dulcia vocare folemus, admixtis aliis quibusdam rebus arte facta: fed ita vocantur, quæ feruere prohibentur, femperque natiuam fuam dulcedinem conferuant. Multiplex eorum præparandorum fuit modus, quorum tantum vnum ex COLVMELLA adferemus. Ita autem ille: Antequam prelo vinacea fubiiciantur, de lacu (hoc eft vas, quod muftum continet, cum prelo exprimitur) quam recentiffimum addito muftum in amphoram nouam, eamque oblinito, & impicato diligenter, ne quidquam aquæ introire poffit; tunc in pifcinam frigidæ & dulcis aquæ totam mergito amphoram, ita ne qua pars exftet; deinde poft dies quadraginta eximito, fic vsque in annum permanebit dulce (*de re ruftica* L. XII. c. 29.) Præftantius huius potionis facerdotibus dandæ genus vocatur חלב תירוש Num XVIII, 12. quod fiue de flore vini, fiue vuis præftantiffimis, quæ fingulæ decerptæ torculari folæ premuntur, efficitur, quæ

 hodie



hodie Tokayenſis eſſentiæ, quam vocant, conditio eſſe ſolet: ſiue ex peculiari quodam vuarum genere, quæ Hebræis שורק dicuntur, exprimitur. In hac voce explicanda interpretes in duas abeunt opiniones; alii vuas cœruleas, e quibus vinum ruſum naſcatur, intelligunt, alii eiusmodi vuas, quarum acinis nulli vinacei, ſiue ſemina inſint. NIEBVHRIVS, MICHAELIS rogatu, hac de re ipſos eius terræ incolas ſciſcitatus, nihil certi inueſtigare potuit, niſi quod eſſe quoddam vuarum genus audiuerat, quarum ſemina non quidem ſint vinacei, ſed pultem quandam, quæ diſſectis baccis a reliquo ſucco facile diſcerni poſſit. Ex his omnibus Palæſtinam vini fuiſſe feraciſſimam abunde patet. Huius rei quoque gloria in ſacris litteris pluriſariam ornatur. Vocatur terra frumenti & vini, terra panis & vinearum, 2 Reg. XVIII, 32. Jeſ. XXVI, 17. Jeſaias maximum terræ infortunium minitaturus, gaudium & lætitiam ex vineis ſublatum iri, vinumque in torcularibus non calcatum iri ait; cap. XLV 21. Multæ quoque dictiones occurrunt, a vinearum ſimilitudine petitæ, e. g. Pſ. LXXX, 6. Jeſ V, 1. Jer. XII, 6. Quæ omnia vinearum vſu Palæſtinam multis aliis regionibus, & inprimis Aegypto fuiſſe potiorem, commonſtrant.


Quæ hactenus de vinetis diximus, ea etiam de oletis valent, quibus Agyptus pæne tota caruit, Palæſtina autem abundauit. Cum hæc arbor montes colleſque amet, eius exiguam in Aegypto fuiſſe copiam, mirum videri debet nemini. Paucis quidem quibusdam regionibus tam felicibus eſſe contingit, vt oliuas gignant, eæ vero tam exiles & inſipidæ eſſe dicuntur, vt aut plane nullum, aut ſaltim peſſimi odoris oleum ex iis confici poſſit. Qui circa Alexandriam ſunt horti, oleas quidem ferre, oleum autem non ſuppeditare dicuntur. Vtuntur quidem ſemine quodam, quod ſeſamum dicunt, ex cuius granulis oleum exprimunt, quod vero, NIEBVHRIO teſte, oleo Palæſtinenſi multo eſt inferius. Hinc Aegyptii plurimam partem oleo abſtinent, & ſi quando eo cum oleribus miſto vtuntur, pauxillum tamen, & quantum herbarum victui mitigando ſufficiat adhibent; Palæſtina vero ſuperfluente olim olearum multitudine ita redundauit, vt nulli regioni cederet. Magnus ille regis Sanheribi pocillator, Iudæis probaturus, Aſſyriorum terram bonitate & prouentu eorum, quibus vita carere non poſſit, cum Hebræorum terra contendere, præter alia adfert, terram olei eſſe feracem. 2 Reg. XVIII, 32. Quam ferax autem olearum Judæa fuerit, vel ex prouentu olei colligi poteſt. Salomo quippe Hiramo, Tyriorum regi, quam diu ſeruis eius ad paranda ligna vtebatur, dediſſe legitur vicies mille bathos olei, 1 Reg. V, 11. 2 Parall. II, 10. Vnde etiam Ezechiel propheta Tyrum ita adloquitur: Juda & terra Jſraël, inſtitores tui, in frumento primo balſamum & mel & oleum & reſinam propoſuerunt in nundinis tuis cap XXVII, 17. Naſcebantur in montibus atque collibus, quibus Judæa magna ex parte abundabat. Memoratur in primis, qui a multitudine olearum dictus fuit, Mons Oliueti, poſitus e regione templi; laudatur mons Archob, qui Talmudiſtis Tragona dicitur, ob olei præſtantiam; eodem honore habitus eſt mons Thecon; in laude quoque

fuit

fuit oliua Netophæa, in confiniis Bethlehemi nata. Præterea aliæ erant rupes, quæ oleum fundere dicebantur. Deut. XXXIII, 24. Hodie quoque magnam eius in his regionibus prouenire copiam, qui ibi peregrinati sunt, vno ore fatentur omnes. SCHVLZIVS se non procul ab Hierichunte vrbe multa olijueta inueniſſe teſtatur (l. c p 86.) & HASSELQVISTIVS nulla in regione oleum iucundiorem habuiſſe ſaporem, quam in Palæſtina, idque illi, quod in aliis regionibus naſcatur, multo eſſe præferendum, ait. Mirifice hac in re Judæis ab ipſa natura conſultum fuit; oliuæ enim cultura proficua omnino eſt, nec multum requirit laboris,

— — non vlla eſt oleis cultura; neque illæ
Procuruam expectant falcem raſtrosque tenaces,
Quum ſemel hæſerunt aruis, aurasque tulerunt;
Ipſa ſatis tellus, quum dente recluditur vnco,
Sufficit humorem, & grauidas cum vomere fruges. (*Virg. Georg.* II. 420)

Quorum fructuum omnium culturam vt Moſes magis magisque promoueret, cultum Dei publicum a ſe præſcriptum in ſubſidium adhibuit. Primum inter ſacrificia Deo offerenda erant ferta ex frugibus terræ, farina ſcilicet triticea, aut hordacea, quæ aut cruda offerebantur, aut parata ſeu cocta in patella, vel frixa in ſartagine, vel aduſta in furno. Interdum libamina ſibi adiuncta habuerunt, quæ quibusdam ſacrificiis addi debebant. Hæc erant vel publica, quæ totius congregationis nomine offerebantur, qualia ſunt, manipulus primitiarum, panes feſto pentecoſtes offerendi; vel priuata, v.g. illud fertum, quod ſacerdotes, cum munus ſuum adirent, ſiue pontifex eo die, quo vngebatur, offerebat, quibus ferta ex voto oblata accedebant. Horum libaminum cum tam frequens eſſet vſus, Iſraelitæ, vt ſibi frumentorum copia ſuppeteret, magnam curam adhibere tenebantur. Hiſce libaminibus addi ſolebat vinum & oleum, vnde & his gignendis operam dare debuerunt. Deinde butyri vſu, quo aliæ gentes carnes ſiue elixas, ſiue aſſas, mitigare ſolent, Iſraëlitis prorſus erat interdictum Exod. XXIII, 26. Deut. XIV, 21. Vnde & hodierni Judæi pro butyro lege Moſaica vetito, adipe anſerina vtuntur. Neque vero Iſraëlitæ eo opus habuerunt, cum præclariſſimi olei copia ipſis ſuppeteret. Qui ab ineunte ætate butyro adſuefacti ſunt, iis quidem hoc mirum videtur; ſed ipſe olei ſapor butyrum longe antecellere dicitur iis, qui vtrumque ſine præiudicata opinione ſolo linguæ iudicio examinant. Ne autem quis putet, hanc opinionem ſacræ ſcripturæ eſſe contrariam, cum butyri tam crebra mentio in ea fiat; vox hebræa חמאה quæ vulgo butyrum latine redditur, nil aliud, quam lac concretum, ſiue generatim omne lac ſignificat. Quodſi omnia ea loca, vbi hæc vox occurrit, recte conſideraueris, commodiſſimus naſcitur ſenſus, ſi eam non per butyrum, ſed lac verteris, e. g. Jud. V, 25. Job. XXIX, 6. alibique; lactis enim potum antiquiſſimis



ſimis in vſu fuiſſe populis ſatis conſtat. Vt ergo Iſraëlitæ oleo in cibis ſuis vterentur, Moſes non butyro ſolum, ſed adipe quoque rerum ſtrenue iis interdixit, curamque habuit, vt terra Iſraëlitica non ſolum neceſſitatibus, ſed deliciis etiam abundaret, ne neceſſe haberent, ad alias gentes migrare, & foris quærere, quod domi habere poſſint.

Nil iam ſupereſt, niſi vt id agamus, cuius cauſſa hæc præfati ſumus. Luſtratio ſcholaſtica, quam craſtino die Deo volente celebraturi ſumus, nobis eſt ſignificanda, & Oratores, qui in ea prodituri ſunt, nominandi.

Primus quidem cathedram conſcendet ſuperiorem, *vir plurimum reverendus & doctiſſimus*, M. Jacobvs Theodorvs Franciscvs Rambach, *Gymnaſii noſtri Conrector digniſſimus*, qui mihi ex aliquo iam tempore ex laterum infirmitate laboranti, dicendi ſuſcepta prouincia, hac vice otia facturus, docta & exaſciata oratione, *cur vera verborum ſignificatio in latinis ſcriptoribus inveſtigatu ſæpe perdifficilis ſit*, oſtendet.

Scholaſtica deinde inſtituetur luſtratio, in qua ex ſingulis claſſibus, ſi quartam excipias, bini prodibunt Oratores, bonæ ſpei adoleſcentes, cum adſcriptionem in curias ſuperiores, tum præmiorum remunerationem, grata mente deprædicaturi. Nomina eorum ſunt, quæ ſequuntur

Ex prima claſſe:	Anton. Christ. Ritter, Fr.
	Joan. Christian. Bvnsen, Fr.
Ex ſecunda claſſe:	Georg. Ernest. Leo, Wetzl.
	Joan. Conr. Plitt, Fr.
Ex tertia claſſe:	Jac. Frid. Leonhardi, Fr. gallica.
	Joan. Elias Gavdelivs, Fr.
Ex quarta claſſe:	Joan. Maxim. Walldorff, Fr.
Ex quinta claſſe:	Georg. Jacob. Almeras, Fr.
	Joan. Maxim. a Riese, Fr.
Ex ſexta claſſe:	Joan. Jacob. Brinckmann, Fr.
	Christ. Gottl. Stellwag, Fr.

Vt igitur illuſtris reipublicæ noſtræ Proceres, PATRES PATRIÆ BENIGNISSIMI, inprimis Venerandi Consistorii DIRECTOR & ASSESSORES SPECTATISSIMI, Eccleſiarum noſtrarum ANTISTITES SVMME ac PLVRIMVM REVERENDI, CONSVLTISSIMI & EXPERIENTISSIMI Juris & Medicinæ Doctores, omnes denique litterarum fautores & cultores, frequentes adeſſe, oratoresque noſtros, ea, qua ſolent, beneuolentia audire velint, ſumma pietate & obſeruantia oro rogoque. Nos vero ad quæuis officia viciſſim præſtanda promtos paratosque eſſe futuros, religioſe pollicemur. P. P. Francofurti ad Mœnum, a. d. V. Cal. Octobr. A. O. R. MDCCLXXXVI.